53

memoriam commendauit. quem admodum peregre quis proficiscens.
pignus amoris sui ei quem diligit derelinquit. ut quotiescumque illud ui
derit. possit ei beneficia & amicitias memorare. quae ille si perfecte
diligit. sine ingenti desiderio non potest uidere uel fletu. Dixitque
discipulis dominus hoc est corpus meum quod pro uobis tradetur. hoc facite in
meam commemorationem. Similiter & calicem postquam cenauit
dicens. hic calix. nouum testamentum est in meo sanguine. unde cog
noscere debet. quisquis Christi corpus edit. aut sanguinem bibit. ne quid
indignum ei faciet cuius corpus effectus est. quotiescumque enim man
ducabitis panem hunc. & calicem bibitis. mortem domini adnuntiabitis
donec ueniat. Ideo hoc saluator discipulis suis. & per eos nobis tra
didit sacramentum. ut per hoc semper commemoremur. quia pro
nobis est mortuus. & ob hanc semper memoriam. hunc sacramentum
accipimus. quia corpus est Christi. ut beneficiis eius non existimamus
ingrati. quia in ipso misterio. Christi semper mors nuntiatur. & in cordi
bus nostris agnoscitur. Itaque quicumque manducauerit panem hunc.
uel biberit calicem domini indigne. reus erit corporis & sanguinis domini.
sic scriptum est. Omnis mundus hoc manducabit. & iterum. Omnis
qui manducabit inmunda. exterminabitur de populo suo. & ipse dominus
ait. Si cum offeris munus tuum ante altare. & recordaberis quod frater
tuus habet aliquid aduersum te. relinque ibi munus tuum ante altare.
& uade prius reconciliari fratri tuo. Prius ergo perscrutanda est conscien
tia. si in nullo nos reprehendit. & sic aut offerri aut communicare de
bemus. Quidam sane dicunt. quod non tam indignum. sed indigne acci
pientem reuocet a sacro. Si etiam dignus indigne accedens retrahitur.
quanto magis indignus qui digne non potest accipere. Unde oportet
otium cessare uitiorum. ut sanctum domini corpus sancte percipiatur. Reus erit
enim qui tanti mysterium sacramenti pro uile dispexerit. Unde sub
ditur. probet autem seipsum homo. & sic de pane illo comedat.

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG
Bodleian Libraries UNIVERSITY OF OXFORD
HESSEN Staatliche Schlösser und Gärten Hessen
Organisation der Vereinten Nationen für Bildung, Wissenschaft, Kultur und Kommunikation
Kloster Lorsch Welterbestätte seit 1991
© Bodleian Libraries
http://bibliotheca-laureshamensis-digital.de/view/bodleian_mslaudmisc427/0111